







Q. D. B. V.

22 5  
HYPOCRISIS  
IN  
MEDICINA

Quam.

DEO TER OPTIMO MAXIMO ADJUVANTE  
AMPLISSIMO SENATU ACADEMICO  
CONSENTIENTE.

EX DECRETO GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
SPECIMINIS LOCO

IN DISPUTATIONE INAUGURALI  
PRO GRADU DOCTORALI  
SUMMISQUE IN MEDICINA PRIVILEGIIS ET HONORIBUS

Rite ac legitime obtinendis

IN REGIA PRUSSORUM UNIVERSITATE  
MANIFESTAT

*Et publicæ Eruditorum submittit Censuræ*

ANDREAS FRANCISCI LISCHOVINI,

Trenchinio Hung. Med. Cand. & hæcenus Civitatis Bartenstei-  
nenlis districtuumq; adjacentium Practicus.

IN AUDITORIO MAXIMO

Horis ante & pomeridianis

Anno M DCCI. die Nov.

---

REGIO MONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SAC. R. MAJ. & ACAD.

Typogr. Hæredum.



IN TRIBUS TRIUNIUS REIPUBLICÆ REGIONONTANÆ  
SENATUS AMPLISSIMI COLLEGIIS.

VIRIS GENEROSO PRÆNOBILISSIMIS AMPLISSIMIS  
CONSULTISSIMIS atq; SPECTATISSIMIS.

DOMINIS CONSULIBUS, ASSESSORIBUS & SECRETARIIS.

PALÆOPOLITANO.

DN. FRIDERICO à DERSCHAU,  
Conf. & Consil. Reg.-  
DN. HENRICO BARTSCH,  
Pro-C.  
DN. GEORGIO DÜTHMER,  
DN. GEORG. WILH. MÜHLKUNTZEL  
DN. PETRO SCHWENNER,  
DN. CHRISTOPH. von KOHLEN,  
DN. CHRISTOPH. WERNER,  
DN. CHRISTOPH. DULTZ,  
DN. CHRISTOPH. HORCH,  
DN. JOHANNI LANGERFELDT,  
DN. HENRICO BARTSCH, Secret.

CNEIPHOVIANO.

DN. MELCHIORI LÜBECK, Sen. Conf.  
DN. JOHANN. SANDEN, Pro-C.  
DN. JOHANN. REICH,  
DN. MICHAELI KONGEL,  
DN. MATTHÆO KLEIN,  
DN. CHRIST. EGIDIO NEGELEIN,  
DN. JOHANN. THAM.  
DN. FRIDERICO HOFFMANN.  
DN. CHRISTOPH. LEFFLER.  
DN. CHRISTOPH. KRÜGER,  
DN. VALETINO POLCKEIN,  
DN. BERNHARDO ALBRECHT,  
DN. MELCHIORI LÜBECK, Jun. Secret.

LOEBNICENSI.

DN. JACOBO RANSCHEN, Pro-C.  
DN. DANIELI SCHIMMELPFENNIG,  
DN. HENRICO LIEDERT,  
DN. MARTINO JESCKEN,  
DN. HIERONYMO HÖPNER,  
DN. JOHANNI CHRISTOPHORO MEHLICH,  
DN. PETRO GLOGAU,  
DN. CHRISTIANO ZÖRNKAU,  
DN. JACOBO HOFFMANNO, Secret.

Hanc Disputationem Inauguralem in Studiorum fortisque  
sue commendationem, cum voto omnigenæ pu-  
blicæ privatæque prosperitatis humillimè con-  
secrat

AUTHOR



**S**imulationem potissimam doli portionem præsertim si cum mendacio maritetur esse turpe pernitiosumque generi humano vitium, testari inter alia suo infelici possunt exemplo miseri Protoplastæ, qui altitissimi hostis infernalis serpentis simulatione amicitia circumventi, universam in maximum miseriarum labyrinthum conjecerunt posteritat. m. Dum enim Creatori Summo similes esse affectant, Diabolica Simulatione fiunt dissimillimi. Ita scilicet ex simulatione ceu Matre impurissima innumeræ pœnæ & ipsa Matre deteriores progeneritæ sunt filia, adeo antiquum genus ducit simulatio, quæ inde à Diabolica seductione & Caini parricidio etiam Simulatione scelus execrabile occultatur, usque ad nostram ætatem continua serie est propagata. Illa omnes mortalium status malitioso suo imprægnavit semine, illa omnes tres Hierarchias Reipublicæ Christianæ, illa supremas scientiarum Facultates Theologiam, Jurisprudentiam, Medicinam, Philosophiam pestifero intoxicavit veneno. Quid enim aliud dicunt Reservationes mentales nefariè in Theologiam introductæ, quid Hypocrisis? quid illud Machiavelli simula dissimula: certè omnia ista arguunt simulationem in omnibus regnare hominum ordinibus. In Medicina sane simulatio satis amplam exercet dominationem. Morbi simulati dissimulatique toto die & Judici & Medico facessere negotium deprehenduntur. Judici quidem quatenus ipsum impediunt retardantque in ferenda sententia administrandaque iustitia: Medico verò, quia in casu si Morbum homines simulant, Medicorum consilium hac super re requiritur tanquam certissimum, ipsi id Jctis fatentibus *Bart. in L. 60. ff. de R. I. Mascard de Prob. Vol. 2. Conclus. 1123.* eorumque judicio statur *Clar. in §. homicidium nò 43.* Sumpsit hoc negotium propterea *Galenus* in Libello (si ejus est) quem conscripsit de artificio. *Quomodo deprehendendi sunt illi qui morbum simulant,* tanquam à sua non alienum professione. Imitatus est hunc *J. B. Sylvaticus* ut & *Paulus Zacchias* qui hoc argumentum satis portraçarunt & tantum non exhausterunt, ostendendo quibus modis morbi simulati deprehendi possint. Horum vestigia ego etiam ob Utilitatè Materiz in præsentiarum in Disputatione hac Inaugurali legere, inq; SIMULATIONEM & DISSIMULATIONEM MORBORUM diligentius sed brevibus inquirere constitui Faxit DEUS feliciter!

§. II. Statim autem operæ pretium facturum me esse puto, si initium Tractationis à Nominibus fecero: Hypocrisis itaque seu simulatio vi vocis nihil aliud est quam fictio, cum scilicet nos fingimus aliquid habere,

A

amare,



amare, velle, sperare, scire, cum tamen illud non habeamus odimus, noli-  
 mus, timeamus nesciamus. Differt à dissimulatione, quod simulatio sit il-  
 lorum quæ non sunt, dissimulatio autem illorum quæ sunt. Negandum  
 tamen non est has voces interdum promiscuè sumi ab Authoribus, certe u-  
 traque habet pro fine rō fallere utraque vel in factis, vel in verbis vel utrisque  
 simul consistit, vel est cum mendacio conjuncta vel sine mendacio. Simula-  
 tionem sine Mendacio existere negant qui Mendacium pro synonimo simu-  
 lationis ponunt. Differt tamen simulatio juxta *Cardani Proxenetam* à  
 Mendacio, quod simulatio gestu & actionibus & verbis, quæ perfectam  
 scientiam non continent absolvatur, talis *simulatio* vocatur *Cornelio Mar-  
 tino* in *Analyfi Anima Oratoris*, mendacium autem solis verbis & planè  
 sententiam falsam continentibus consistet. Simulationem Stoici omnem  
 improbant & negant eam in bonum Virum cadere *videatur Scribanus in  
 Politico Christiano*. Verum enim vero non malè forte distinguitur *si-  
 mulatio* (uti etiam ipsum Mendacium) in *Licitam* per quam jus tertii non  
 læditur & *Illicitam*, per quam jus tertii læditur. Sane *simulationis Licitæ*  
 habemus exempla in Sacra Scriptura in *Abrahamo* simulante sororem in  
 conjuge. *Gen. 20.* in *Jacobo* simulante fratrem Esau matris imperio *Gen. 27.*  
 in *Josepho* simulante inimicitiam contra fratres *Gen. 42.* in *Moyse* in  *Davide*  
 simulante stultitiam *Sam. 21.* & ut alia taceam in Christo simulante lon-  
 gius iter *Luc. 24.* Medico Simulatione Licitæ uti licet imo expedit variis in  
 casibus, ut quæ non solum ejus prudentiam indicat, sed & sine læsione pro-  
 ximi optimum intendit finem, ut v. g. cum simulat apud ægrotum nau-  
 seabundum Medicamenta amara esse grata. Simulatio Medici apud Me-  
 lancholicos & delirantes interdum est loco maximæ curæ, multos enim  
 sola simulatione Medici & astu fuisse restitutos constat ex *Cam. Syll. Mem.  
 Cent. 4. part. 1. & seqq. Cabrelio Obs. 9. Vid. Moronii Direct. Medico  
 Practicum*. Peccat vero Medicus quando simulatione utitur Illicita, dum  
 vel avaritiâ ductus morbum levem venditat pro periculoso ejusque curam ma-  
 litiose protrahit, ut facultates ægri emungat, (nisi si forte habeat rem cum  
 ægro avaro & ingrato) vel cum morbum extenuat & non obstantibus peri-  
 culi & mortis præfagiis eandem ægroto celat. Turpis est etiam in Medico  
 simulata pietas, eruditio aliæque Virtutes quas verè possidere debet. Utraque  
 simulatio reperitur etiam aliquando in ægrotis.

§. III. Verum enim vero Medici non est de Bonitate & Malitia Actio-  
 num agere, cum id negotii merito Politicis Ethicisque relinquatur. Medi-  
 co tantum incumbit, ut Morbos qui simulari aut dissimulari possunt osten-  
 dat, artificiumque eos detegendi doceat, quo circa etiam hoc mihi facien-  
 dum puto, postquam quædam de simulationis dissimulationisque signifi-  
 catione



catione generalia præmissi. Necessarium tamen etiam hic duco ut duabus tribusve lineolis præmoneam me hic non esse acturum de simulatione Morborum, quatenus ipsi Morbi aliam atq; aliam naturam assumunt, & non nunquam sanitatem mentiuntur, tum in signis pulsus tum Urinæ & virium. Malignorum certè morborum plerumque ea est indoles ut Medicum etiam non inea utum occultatione suæ virulentia faciant securum, & per simulatam benignitatem dissimulatamque malitiam in prognosi & cura suffundant, ita ut multos simulationem morbos habere nullus Medicorum eat inficias, *quam tamen simulationem dissimulationemque dignoscendi alias data occasione B.C.D. sum daturus artificium.* Agam vero de simulatione & Dissimulatione, quibus homines non raro utuntur. Quod enim tales ab hominibus Morbi simulati dentur, illud præter à Magistratu super morbis simulatis dissimulatisq; postulas Medicorum Responiones, *vid. Pand. Med. leg. Val.* exempla à Medicis annotata confirmant. Sic Galenus allegato libro facit mentionem servi qui arte sibi ulcus in crure fecit thapsiâ, (quod etiam facere potuit vel flammula scematide, vite alba, tithymalorum succo, turpetho, taxi pulvere & omnibus causticis medicamentis) meminit & alterius, qui, Hæmoptoën, & alius qui dolores coli simulavit. *Paræus L. 24. c. 13. & Pigreus* caneros arte factos deprehenderunt mirè simulatos. *Ex Dioscoride L. 3. c. 60.* constat sibi quosdam pallorem conciliare semine cumini & sulfitu sulphuris, & quis omnia annotaret exempla Simulatorum Dissimulatorumque Morborum (quæ etiam mihi in mea tenui praxi obvenerunt) quos homines multis ex causis malitiosè se pati simularunt simulantque. Aliqui enim hos simulant ut tormenta pœnasque meritas declinent, ut liberentur è carcere, ut effugiant onera, ut impetrent immunitates, ut commoveant homines ad misericordiam, ut Eleemosynas facilius colligant, pueri scholam frequentantes læpius simulant Morbum dictum Scholæ. **Die Schuls Brantheit** ne Scholam visitent, aliqui ex voluptate & consuetudine simulant morbum, aliqui verbera accepta morbo simulato vindicare non dubitant. Causas has & alias plures propter quas Morbi simulantur prouident *Silvaticus* ad tria reducit capita causarum *nempe ad Timorem, uerecundiam & Lucrum*, ad hæc enim non solum recensita causæ sed etiam aliæ excogitandæ & obuenientes referri possunt. v. g. cum quidam *Ectasim, Choream Sancti Viti* mentiuntur, ut sanctimoniâ singulari celebres fiant, cum adultores eadem se infirmitate ægrotare fingunt qua Dominus, uti serui Dionysii Syracusani cæcutientis simulabant cæcitatem teste Plutarch. in Lib. de Differ. inter adulat.

S. IV. Cæterum cum non omnes Morbi æque facile aut longius si-  
A 2
mulari



mulari possint, sed illi tantum qui evidentibus desituuntur signis, febreque carent, (nam licet non negaverim febrem etiam forte arte posse produci, ut à semine alterci epoto, à vino hausto in quo mandragoræ radices effrue- rint, à sumpto calido Electuario ut Theriaca, Mithridatio Conf. Anacard. Elect. Diafcoed. Fr. Syl. vinum si superbibatur, ab omnibus aromatibus cum vino largius haustis, à Spiritu Vini, ab oleo Scarabæi inuncto pulsibus jux- ta Silvaticum, ab alio inferiori indito gutturi, quia tamen talis fictitia fe- bris vel brevis est & facile deprehenditur, vel longa & contra intentionem si- mulantis, quam ipse æger poenitentia sero actus detegit; quare etiam ab hominibus febres facile non simulantur,) hinc illam omittam & dabo cata- logum Morborum qui optimè simulari possunt. Ex his sunt (1) *Dolo- res* partium Internarum ut capitis, aurium, pleuriticæ membranæ, oculo- rum, ventriculi intestinorum (Externarum vero partium uti facile simulantur ita etiam facile deprehenduntur, ut tumore, colore, &c.) (2) *Demen- tia* & omnia deliriorum genera, (3) *Animi deliquia* & cum his contingen- tes alii affectus ut Epilepsia, Apoplexia Hysterica passio (4) *Morus loquela* sensuumque Externorum defectus, (5) *Cachexia*, Icterus, hydrops, ulcera, herniæ, Prægnantia, Partus, Virginitas, quamvis Virginitas, Prægnantia & Partus non sint morbi. Notari vero etiam hic debet simulationem non tantum Morbos sed etiam gradus morborum includere, sic illi etiam si- mulare Morbos dicuntur, qui majorem morbi acerbiteratem simulant, licet revera morbo sed non tanto affligantur, quæ *Simulatio* vocatur *Zacchiæ latens*, uti prior *aperta* quando Morbus simulatur qui non est. Simulatio acutioris Morbi multis est familiaris & tantum non naturalis, quæ Medico præsertim novello magnum poterit incutere metum. Zacchias habet sin- gularem in hanc rem historiam de quadam Græca tertiana laborante sim- plici sine ullo Symptomate notabili, quæ cum in accessione vomitu sed non molesto prehenderetur, prædicabat se illico mortuam, canes sibi stomachum lacerare vociferans &c. quæ tamen Zacchiam magis in risum quam com- miserationem moverunt, qui noverat mores forminæ. Ad hæc sciendum est, quod isti Morbi vel simpliciter tantum fingantur, vel simul simulatio adjavetur arte. *Reinesius in Schola Jure Consultorum Medica* Morbos tribus simulari modis scribit primo cum nulla Medico offertur morbi spe- cies, sed solus ægotantium percipitur clamor, secundo cum morbi osten- duntur sed arte excitati, tertio cum non morbi sed signa morborum osten- duntur etiam arte facta quæ tamen certos comitari solent affectus. Simula- tionem enim suam quidam malitiosè palliare conantur quibusdam medijs morbos probantibus v. e. immutatione pulsuum per ligationem brachii, adultera-



adulteratione Urinæ quoad colorem & contenta. Adulterari enim Urina vel ab intro assumptis putatur ut v. g. à minio aqua salsa commixto epoto abstinendo à cibo urina mittitur sanguinea, talem etiam creduntur efficere Indicæ ficus fructus comesti, & radices rubiæ tinctorum. *Matthiol. in Lib. Diosc. prim. c. 145.* Urinam certe à potu Theæ, Caffè, à Cassia, rhabarbaro, alio, coëpis, baccis lauri, juniperi, (àque longiore retentione) valde alterari si interne sumantur *deduxi in Cursoriis Lestionibus quas de eo quod in Medicina observandum est.* Nè QUID NIMIS habui, vel ab externe accidentibus. Sic saponario lixivio aut rhabarbari tantillo ad livorem palloremque coloratur, aliquando substituitur vel hydromel, vel vinum simplex, vel alterius animantis Urina. Cantharidum etiam in manu detentio urinam alterare dicitur sed non sine periculo.

§ V. Medicus itaque non tantum Morbos simulatos sed etiam illa media quibus simulatio augeri solet cognoscere debet. Artificium cognoscendi suppeditabunt ipsi Modi vel *Generales*, qui omnibus morbis conpetunt, vel *Speciales*, qui singuli in singulis possunt adhiberi Morbis. Inter modos generales, per quos quilibet morbus simulatus deprehendi potest sunt sequentia Criteria seu uti Zacchias loqui amat Ingenia, quæ partim à communi ratione partim à Medica petuntur Experientia. *Primum* est, cum inquirimus in causam propter quam suspectus videtur esse Morbus, quam colligimus ex hominis simulantis statu seu conditione, moribus &c. v. g. an ignavia sit deditus, an in iudicium trahendus, tormentis subjiendus, in carcere detinendus &c. ? tunc enim facile conjecturæ nascuntur quæ nos in veritatis deducunt cognitionem. *Secundum* est, cum concludimus ex comparatione affectus ipsius huiusque causis externis, corporis habitu, ætate, an scilicet hæ illi producendo congruæ seu adæquatæ existant an secus. *Tertium* est, cum attendimus ad Medicamentorum remediumque facilem usum, qui enim verè ægrotant patiuntur sibi dari medicamenta imò ipsi quantum expetunt, quæ simulantes repudiant, quæ tamen regula scèpius fallit nisi constet hominem aliàs non abhorreere à Medicamentorum usu. *Quartum* est, cum ex adjunctis seu accidentibus ac symptomatibus de morbo iudicamus v. c. de Apoplexia ex ejus symptomatibus. Zacchias quinque adducit Ingenia non aliena à nostris, quibus deprehendi possunt Morbi simulati. Reinesius l. c. octo modos ex Questionibus Medici & responsionibus ægrotantis multum concludi posse scribit. *Fieri enim non posse inquit quin simulans prodat suum in Responsione dolum*, lumit præterea iudicium de morbo simulato à medicamentorum viribus, scribens si Medicamen-



camenta non faciant officium alias experta subesse dolum, ab hominum tolerantia æquali & situ, cum facile simulantes situm sani resumant, neque ita se ac ægroti vere habeant, ab ipsorum inspectione accurata, ut & à violenta extorsione, minisque.

§. VI. Inter Modos speciales sunt signa unicuique morbo propria, quæ sunt plurima sic v. g. peculiariora habent signa dolores, peculiariora etiam morbi cum Lipothymia conjuncti, cachexia &c. sed quæ omnia fundantur in generalibus signis. Longum esset sigulos Morbos eorumque signa percurrere, mihi pro ratione instituti quosdam tantum lustrasse sufficiat. Quod itaque attinet ad Dolores partium internarum qui omnium commodissime fingi possunt, cum dolor non sentiatur nisi ab eo qui dolet, hi deprehenduntur esse simulati si consideretur pars dolens, doloris species, causa evidens & duratio, hincque nata Regula. *PRIMA Ex parte dolente dignoscitur dolor simulatus à vero si non habet propria partis Symptomata.* v. g. Si dolor ventriculi anorexiam & nauſeam, pectoris tussim & puncturam, capitis vigilias non habeat est suspicio de simulato dolore. *SECUNDA Cum doloris species sint variae* (nam alius est pungens, lancinans, pulsans, rodens tensivus, gravativus) *nec tamen omnes omni parti congruæ & à quacunque causa emergentes, hinc si cum causa morbifica & parte affecta comparentur fraudem etiam facile manifestant* sic ab infrigidatione non facile oritur dolor rodens in subiecto phlegmatico. *TER-TIA Si Cause Evidentes seu Externæ non fuerint doloris speciei aut parti affectæ adequata de fallacia suspicio est.* *QUARTA Si quis per triduum aut ultra magnos dolores faucium, stomachi pectoris, vesicæ sine suppuratione aliorumque Symptomatum accessu se sustinuisse asserat, præsumitur fraus, hæ enim partes diu dolores magnos ferre non possunt sine suppuratione.* Hipp. 7. Aph. 22. & symptomatibus aliis. Magni dolores magnas causas habent & Symptomata. Istæ vero Regulae omnes de doloribus intensis sunt intelligendæ, leviores enim non merentur inquisitionem Medici.

§. VII. Infania uti facile simulatur ita difficile deprehenditur, hanc simulavit David, Ulyſes, Solon, Junius Bratus & alii plures Sapientes viri. Infania autem vel Melancholiam vel Furorem repræsentat, inter quæ maxima intercedit differentia, licet utriusque sit una pars affecta nempe cerebrum. Simulata Infania deprehenditur ex defectu notarum veræ amentię & Infantiæ propriarum. In vera Infania sunt oculi fixi; excavati, torvum videntes, facies modo pallida, modo ex improvviso ex æstuans, rubescens quoad genas, clamor, ploratus, amor solitudinis, timor tristitia sine causa fontica,  
exagi-



exagitatio varia & inepta corporis, robur vigiliae longae. Melancholicam antecedunt causae evidentes seu Externae, febres diuturnae, constitutio haereditaria, affectus Cerebri graviores &c. Ubi ergo haec desunt notae si non omnes tamen pleraeque, & tamen ex abrupto quasi amentiam invasisse constat, magna suspicio emergit simulationis. Cognoscitur etiam infania ex insanendi modo comparato cum aliis signis, nam qui revera delirant, ut plurimum praeter varia circa particulare unum vel alterum objectum errant. v. g. se mortuos putantes, de salute aeterna dubitantes comedere, bibere, loqui &c. nolentes, licet de aliis rebus interrogati promptè & aptè aliquando respondeant; contra Affectantes Infaniam circa cuncta ineptè respondent putantes nequicquam prudenter loquendo dolum commodius occultari posse. Per verbera, interrogationes varias & colloquia affectus moventia v. g. Ictitiae, tristitiae &c. quibus verè insani non moventur, etiam detegitur infania. *Vid. Zaech. Q. 5 n. 17.* Infania à Medicamentis procurata noscitur tolliturque Theriaca & Mithridatio aliisque alexipharmacis, à Vino & Cerevisia contractam solvit somnus. Claudius Imperator Librum edidit teste Sveton. in ejus vita, Moron anastasin, cujus argumentum erat stultitiam neminem fingere, qui tamen refutatur Experientia.

§ VIII. Quod concernit Affectus cum animi deliquis & sensuum amissione ut Syncopem, Apoplexiam & Epilepsiam (quam ultimam homines fraudulenter simulaturi adhibent saponem, quo ori indito spumam excitant & ore omittunt, quod notandum) hi si fingantur facile deprehenduntur (1) per remedium sensibilem valde & dolorificorum applicationem, ut cucurbitularum cum magna flamma, vesicatoriorum, sternutamentorum, errhinorum. (2) Per ficta verbera & ictus, quibus verè aegrotantes non commoventur uti simulantes (3) duratione. Vera Apoplexia vel in mortem vel in Paralyfin quarto ad summum septimo die terminatur. Syncope & Lipothymia deprehenduntur ficta facile ex pulsu, colore faciei sudoribus frigidis absentibus vel praesentibus. Quidam summæ malitiæ homines malitiose etiam se obsessos seu Dæmone captos simulant. Melancholici tæpe idem sed sine dolo sibi aliisque persuadent, quos à vere obsessis dijudicare difficilimum, propter easdem actiones moresque. Discernitur tamen obsessio à Furore Melancholico *primo planè injustis*. v. g. dum vox articulata per aliam corporis partem, quam os profertur, ut ex ventre, annotante *L. Celio Rhod. L. 2. Lect. Antig. c. 10.* neque tamen ob famem justo longiorem aliquis statim pro obsessio habendus, cum quidam purè Melancholici cibo abstinerint, per aliquot dies imò septimanas. Ego in praxi observavi quendam Melancholicum genere Nobilem à cibo omni  
per



per sex abstinuisse septimanas, à cibo & potu simul tres septimanas, ita ut illi nulla possem applicare Medicamenta, in quo mortuo aperto reperi Lienem sat magnum, ventriculum vero pene consumptum &c. *Secundo* dignoscuntur obsessi à Melancholicis si cogitata aliorum hominum dicere & enunciare deprehendantur etiam in incognitis lingvis, Errat Huartus qui hoc soli tribuit naturæ. *Tertio* dum miræ actiones & naturæ impossibiles proferuntur v. g. dum Johannem quandam Gallicam referunt mappam laceralesse & in omnium oculis subito redintegrasse.

§. IX. Quomodo simulata Virginitas Sophisticatione & Prægnantia, Partusque simulati manifestentur discere ex *Zacchia*. Cæteri Morbi ut Hydrops, Icterus, hernia, ulcera dignosci possunt partim ex generalibus modis, partim si signa verorum Morborum & Symptomata probe perpendantur & cum iis conferantur.

§. X. Absolutis Morbis superest, ut etiam ostendam quomodo pulsus mutatus & Urina ab hypocrytis adulterata ad simulationem confirmandam, dignoscatur. Ut itaque quis pulsum mutatum esse deprehendat, necessarium est ut pulsus non tantum in utraque manu post interjectam aliquam moram exploret, sed etiam in aliis partibus brachia etiam tentet, num aliquo vinculo constricta sint, & cura à Medicamento calefaciente major pulsus & febrilis excitari posse vulgo credatur, hinc etiam Medicamenti usu interdicit, quâ ratione Galenus pulsus mutatus esse deprehendit. Urinæ vero adulterationes impediunt, si eas in præsentia mittere jubeat, dignoscet vero adulteratas *odore, contentis, spuma* (Sic spuma in urina vera albicat, in simulata per hydromel flavet) *evaporatione*. Quod autem Sudores sanguinei possint arte produci, de eo quam maxime dubito. *Baroncell. quidem L. 2. D. Sudor c. 11.* dicente Zacchia duobus exemplis ostendere conatur dari quædam Medicamenta, quæ hujusmodi Sudores sua applicatione elicere possint, sed quia illa non nominat, idcirco etiam ei cæca obedientia ad stipulari non possum, quamvis sciam Sudores sanguinos in hominibus fuisse multoties observatos. *Marcell. Donat Hist. Admir. Hild. Cent 6. Obs 76. Schenck L. 6 Paræus L. 21. c. 22 Riolan Enchirid. Anat. & Patho. Ephem. Germ. Cur. Dec. 1 A. 2.* verum enim vero illi erant præternaturales, quemadmodum Sudor Salvatoris nostri erat plane miraculosus *Craan Tr. de Hom. Cap. de Sudore.*

§. XI. Cæterum vix forte est è re Medici, ut tantum impendat laboris ad detegendum Morbos simulatos. Medicus enim quo plures ægros suæ curæ commissos habet, eò majores exinde gaudere debet se posse percipere fructus, ut non malè forsan abierit in proverbium Medico tunc bene esse



esse cum aliis malè, & contra. Parùm etiam curare debet Medicus simulatos aut veros debeat depellere morbos, dum modo multos, quinimo simulatos citius tutius & jucundius curabit. Medicus adhæc juramento Hippocratis, imo jure Naturali obstrictus est, ne Morbos ægrorum detegat, quos illi volunt occultatos. Uti enim ægro incumbit confessio morborum ut ita dicam, ita Medico taciturnitas tanquam confessionario. Ita quidem est quod Medicus ex isto labore parum referat utilitatis, si excipias illasam conscientiam imò plus sibi officiet si simulatos & dissimulatos morbos manifestaverit, quos si pro talibus habuisset ab Hypocritis majora percepisset Sostra, negari etiam non potest, quod Medicus nullos morbos præsertim qui infamiam aliquam inferrent propalare debeat, nihilo ramen minus hic probè distinguenda sunt facta Medici privata & publica, seu quæ facit ratione sui officii, publica utilitas anteferenda est privatæ. Medicus à Magistratu non requisitus non tenetur quidem examen instituere Morborum simulatorum aut dissimulatorum, aut illud divulgare, requisitus autem debet, ut taceam notitiam differentiarum inter morbos simulatos & dissimulatos à veris, Medico Practico esse apprime utilem & necessariam. Conf. 6, 4.

§. XII. Hactenus lustravimus Morbos simulatos, nunc pauca addimus de Dissimulatis, quos homines dissimulant, vel ob commodum impetrandum v. g. officium aliquod egregium, matrimonium dives &c. vel damnum avertendum. Dissimulantur autem utpl. Morbi contagiosi inspecie *Lues Venerea*, Seabies, Epilepsia tum Impotentia, Impregnatio Partus & alii plurimi Affectus. Horum autem dissimulatorum morborum dignotio non tantum propter Magistratum & privatos homines, sed etiam ob propriam utilitatem Medico est necessaria, præterquam enim quod ignorantia ejus Medico maculam inurat, nocere etiam ei potest v. g. in contractu de levi pretio cum ægro inito, ratione morbi cujus magnitudinem ægrotus studio occultavit curandi, quam tamen sed sero dissimulatam deprehendit Medicus. Sicuti enim jure licet Medico cum ægroto contrahere de cura (quamvis hoc nostris temporibus magis Medicaltri & Empirici faciant, quos utinam non deberent imitari ob ingratitude[m] ægrorum genuini Medici,) imo non nunquam & Medico & ægro expedit, hac enim ratione contractu de Cura facta, magis Medico obstringitur æger, ne vacillet varietque Medicos quod alias solenne est ægris, & majorem confidentiam ut ita loquar ponit in Medicum (quæ non frustra pro dimidia habetur cura) quod suum officium diligentius sit facturus; ita contractus initus ob ignorantiam in Medico dissimulati morbi rescindi non poterit.

§. XIII. Quare denique etiam artificium dignoscendorum Morborum

B

Diss.



Disſimulatum pauca docendum: Hæc petitur à Symptomatibus, ſignisque pathognomicis partim morbi in Genere partim in ſpecie, quæ Medicus probe tenere debet, & ea cum illo quem putat diſſimulatum conferre, ex quorum præſentia vel Abſentia facile Maniſeſtatio morbi diſſimulati orietur. In genere conſiderare debet Medicus Perſonæ quæ diſſimulare præſumitur vitæ genus, mores, faciem, temperamentum, externa antecedenſia, conſequentia. Et hæc de ſimulatione & diſſimulatione Morbotum dixiſſe ſufficiat.

COROLLARIA.

1. Elementa Mundi ſunt Entia Rationis nec dantur: Idem ſentiendum de Principiis Rerum.
2. Inter Opiniones Philoſophorum de Mundi Principiis & Elementis tam Veterum quorum nonnulli unum ut *Heraclitum* Ignem. *Anaximenes* Aërem, *Thales Mileſus* Aquam, *Hefodus* Terram. Nonnulli plura ut *Plato* qui Deum, Ideam & Materiam *Empedocles* Litem & Amicitiam & quatuor Elementa. *Parmenides* Calidum & Frigidum, *Epicurus* qui plenum & Vacuum; *Democritus* Inſinita nempe Atomos. *Pythagoras* numeros *Hippocrates* & *Ariſtoteles* quatuor Ignem, Aëra, Aquam, Terram, & Principia tria Mat. Formam Priv. quàm *Recentiorum* ut *Chimicorum* quorum aliqui tria Sal: Sulphur Mercurium, alii quinque prioribus addendo phlegma & Caput Mortuum, *Tachenianorum* qui acidum nempe ſi ignem & alkali ſi, aquam *NeoDemocriteorum*, qui Materiam & formam ſtatuebant, maximè mihi arridet *Carteſii*, de triplici Materia.
3. Nondum certo conſtat quomodo Alimenta vertantur in Chylum an per *Coffionem* uti veteres, an per *Putrefactionem* uti *Liſterus*, an per *Fermentationem* uti *Sennertus*, an per *acidum* uti *Walæus*, *Sylvius*, an per *Extractionem* uti *Bohnius* an per *Solutionem* uti *Wadſchmidius* & perique *Carteſiano* rum an per *Solum motum* Ventriculi & concuſſionem uti *Pitcairne* ſtatuebat & *Eraſiſtratus*?
4. Circulatio omnium fluidorum in homine propriè dicta non datur.
5. Potus Theæ, Caffæ uſuſque Tabaci paucis prodeſt, multis nocet, & contra multis prodeſt, paucis nocet.
6. Medicus poterit malitioſè protrahere morbum non vitam, contra poterit & Sanitatem & mortem accelerare.
7. Medicus quinque inſtructus Medicamentis voce PAUſO, contentis omnes Morbos curare poterit.
8. In omnibus Morbis poterit uti Medicamentis *Stomachicis* abſque metu antipraxias Viſcerum, ſed cum delectu.
9. Qui purgat Prægnantem etiam Hydropicam peccat contra *Quintum Præceptum*.
10. Qui promiſcuè nimis pretioſa præſcribit transgreditur *Septimum*.
11. Phyſicus debet eſſe Empiricus, contra Empiricus non poterit eſſe Phyſicus.
12. DEUS eſt res cogitans, Authorque Motus.
13. Omnes fere homines ſunt propiticiæ.

S. D. G.



7+10  
TA → DC  
f

ULB Halle 3  
004 598 555




KM7











Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

D. B. V.

# CRISIS

## IN MEDICINA

Quam

MAXIMO ADJUVANTE  
NATU ACADEMICO  
STUDENTE.

OSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
MINIS LOCO

IONE INAUGURALI

### DOCTORALI

NA PRIVILEGIIS ET HONORIBUS  
legitimè obtinendis  
ORUM UNIVERSITATE  
MANIFESTAT

*itorum submittit Censura*

### FRANCISCI LISCHOVINI,

nd. & hætenus Civitatis Bartenstei-  
nq; adjacentium Practicus.

### TORIO MAXIMO

nte & pomeridianis

DCCI. die Nov.

IO MONTI,

SNERI, SAC. R. MAJ. & ACAD.

ogr. Hæredum.

22  
5  
1761, 3